

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

6 September 2006

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**
.....

1. The Feast of the Epiphany

Ad partum Virginis adorandum magi ab Oriente venerunt. Hunc diem hodie celebramus: huic debitum solemnitati sermonem persolvimus. Illis dies iste primus illuxit; anniversaria nobis festivitate rediit. Illi erant primitiae Gentilium; nos populus gentium. Nobis hoc lingua nuntiavit Apostolorum, stella illis tamquam lingua caelorum; et nobis iidem Apostoli, tamquam alii caeli, enarraverunt gloriam Dei.

Magnum sacramentum: in praesepe iacebat, et magos ab Oriente ducebat. Abscondebatur in stabulo et agnoscebatur in caelo, ut agnitus in caelo manifestaretur in stabulo, et appellaretur Ephiphania dies iste, quod Latine manifestatio dici potest, simul eius celsitudinem humilitatemque commendans, ut qui in aperto caelo signis sidereis monstrabatur magnus, in angusto diversorio quaesitus inveniretur invalidus, infantilibus in membris natus, infantilibusque pannis involutus, adoraretur a magis, timeretur a malis.

Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes et laudem Domino annuntiantes.

2. Summary of Gower's vision of the Peasants' Revolt (1381)

In huius opusculi principio intendit compositor describere qualiter seruiles rustici impetuose contra ingenuos et nobiles regni insurrexerunt. Et quia res huiusmodi velut monstrum detestabilis fuit et horribilis, narrat se per sompnum vidisse diuersas vulgi turmas in diuersas species bestiarum domesticarum transmutatas: dicit tamen quod ille bestie domestice, a sua deuiantes natura, crudelitates ferarum sibi presumpserunt. De causis vero, ex quibus inter homines talia contingunt enormia, tractat ulterius secundum distinciones libelli istius, qui in septem diuiditur partes, prout inferius locis suis euidentius apparebit.

Hic declarat in primis sub cuius regis imperio, in quibus eciam mense et anno, ista sibi accidentia, cuius tenor subsequitur, continebat. Commendat insuper, secundum illud quod esse solebat, fertilitatem illius terre ubi ipse tunc fuerat, in qua, ut dicit, omnium quasi rerum delicie pariter conueniunt. Et loquitur ulterius de amenitate temporis, necnon et de diei serenitate, que tunc tamen sompnum nimis horribile precedebant.

3. Isidore on pagan philosophers

Via Christus est. Si quis in ea non graditur, non est quomodo ueniat ad Deum. Philosophi autem mundi utique Deum cognouerunt, sed quia displicuit illis humilitas Christi, in inuio transierunt, et non in uia. Ideoque euanescentes, gloriam Dei in mendacio mutauerunt, et rectitudinem uiae relinquentes, in anfractus inciderunt errorum. Primum unicuique est scire quod appetat, secundum uero est ut id quod appetit adprehendat. Imperfecta quippe sapientia est quod tendas scire, et nescire iter per quod expediat ire. Quid enim prodest, si quis famis tempore ubertatis regionem uideat, et uiam per quam ad illam pergat ignorat? Ecce patriam quisque quaerit, sed uiam perdidit, errando graditur, non proficiendo, quantoque plus ambulat, tanto magis ab eo quod quaerit elongat. Qui uiam regiam, hoc est Christum, deserit, etsi uideat ueritatem, a longe uidet, quia, nisi per uiam, non est quomodo ad eam propinquet. Quod si gradiens per desertum leonem incurrerit semetipsum redarguat, dum in diaboli faucibus haeserit.

4. Some meanings of the rainbow (William de Montibus)

Arcus Christus: Hic est arcus positus in nubibus celi, pactum et signum federis inter Deum et hominem, qui in dictis et factis prophetarum assimilatus est, et in medio doctorum templi quasi in nubibus celi et in choro apostolorum inuentus est. Cotidie etiam uenit in nubibus, id est predicatoribus. Item in Ecclesiastico: 'Vide arcum et benedic qui fecit illum. Valde speciosus est in splendore suo. Girauit celum in splendore glorie sue. Manus excelsi aperuerunt illum'. Et Christus quidem uerus Simon, summus sacerdos quasi 'arcus est refulgens inter nebulas glorie.' Huius arcus uiridis color, immarcessibilis diuinitas, rubeus color, purpurata sanguine humanitas. Set et Ezechiel ait: 'Super similitudinem troni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et uidi quasi speciem electri uelut aspectum ignis per circuitum eius a lumbis eius et desuper, et a lumbis eius usque ad deorsum, uidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu, uelut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ.'